tur Quintilianus lib. 1. Inſt. Orat. c. 18. *ratus, hanc omni ætate, pueris ad acuenda ingenia eſſe utilem, aliis propter numeros & formas, ad publica obeunda miniſteria ſummè neceſſariam. Iuſtitiam inſuper, proportione Geometricâ & Arithmeticâ diſtribuimus, qualem præter alias Pandectarum & Codicis LL. Cujacius ad L. Si ita ſcriptum. D. De lib. & poſthumis, explicat: Ariſtoteles in diſtributivam, quam appellat* Διανεμητικὴν, *& commutativam, ſive* ἀλλακτικὴν, *dividit. Si rem familiarem adminiſtrandam ſuſcipis, meſſis aut arationis tempus ignoras, curſum ſiderum, atque adeò Heſiodum conſulas, licet:*

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων Τπιτελλομενάων,
Ἀρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο τ' δυομενάων.

Damus itaque methodo Ptolomaicâ ſeu Orteliânâ, cœleſtium ſiderum, quotquot hodie extare comperimus, Schemata, ſitus, & Schediographias, terminum deſcriptionis, Eclipticam, obſervantes, ſimili formâ, curaque, hactenus (ſi rectè judico) minimè delineatas, rarò namque ejusmodi, & ut decet reperiuntur perfectæ. Sunt ex deſcriptionibus Hipparchi, Ptolemæi, Alphonſi, & Copernici, per Tychonem Brahe ad trutinam examinatæ, noſtroque diutino interciſarum horarum labore adauctæ, & tui in gratiam commodumque, benevole Lector, in publicum emiſſæ. Habes quaſi omnia ab antiquis frequentata conſtellationum nomina, apta juxta ac inepta, barbara, Arabica, Babylonica, Perſica, dimidiata, &, ut ita loquar, dilaniata, non autem eo animo excuſa, ut barbariem inde haurias, ſed potiùs tanquam contrarium juxta ſe poſitum magis eluceſcens, in ſaniorem & claſſicorum te traducat ſententiam. Plurima igitur mala & corrupta, ac quidem ampliùs huc neceſſariò translata, tibi averſanda, multa bona & polita, antiquorum auctorum nominibus connotata, tibi unicè amplexanda. Hujus mirandi ratio nulla eſt, vocabula